

Leistungskurs Bayern 1985

Wahrer Reichtum

(Sen., ep. 119, 1ff.)

Seneca entwickelt in einem Brief an Lucilius den Gedanken, dass wahrer Reichtum nicht in materiellem Wohlstand besteht.

Docebo, quomodo fieri dives celerrime possis. Quam valde cupis audire! Nec inmerito: ad maximas te divitias compendiaria (1) ducam.

Nihil enim, mi Lucili, interest, utrum non desideres an habeas. Summa rei in utroque eadem est: non torqueberis. Nec illud praecipio, ut aliquid naturae neges - contumax est, non potest vinci, suum poscit - , sed ut, quicquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium.

Esurio: edendum est. Utrum hic panis sit plebeius (2) an siligineus (3), ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio. Utrum haec aqua sit, quam ex lacu proximo excepero, an ea, quam multa nive clusero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum iubet: sitim extinguere. Utrum sit aureum poculum an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum specta, et supervacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quaeque porrigatur manus; ipsa mihi commendavit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit esuriens. Quid sit ergo, quod me delectaverit, quaeris? Videtur mihi egregie dictum: sapiens divitiarum naturalium est quaesitor (4) acerrimus.

„Inani me“, inquis, „lance (5) muneras. Quid est istud? Ego iam paraveram fiscos. Circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus inmitterem, quas arcesserem merces. Decipere est istud, docere paupertatem, cum divitias promiseris.“

Ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest?

„Suo“, inquis, „et patientiae suae beneficio, non fortunae.“ Ideo ergo illum non iudicas divitem, quia divitiae eius desinere non possunt? Utrum mavis habere multum an satis? Qui multum habet, plus cupit. Quod est argumentum nondum illum satis habere. Qui satis habet, consecutus est, quod numquam diviti contigit: finem. (250 Wörter)

-
- | | |
|----------------------------|---------------------------|
| (1) compendiaria (sc. via) | der direkte Weg |
| (2) plebeius, a, um | hier: einfach, gewöhnlich |
| (3) siligineus, a, um | aus Weizen, Weizen- |
| (4) quaesitor, oris | hier: der Sucher |
| (5) lanx, lancis | Schüssel |